

§. IX. Utroque sensu eidem competit *perpetuitas*. Deus enim semper extare vult inter homines *externum* quendam, *visibilemque* coetum, in quo proponatur verbum, & dispensentur Sacramenta. Unde & utrumque horum singulari quadam vi, atque efficacia, instruxit, quo, eorundem beneficio, homines ad hunc coetum perducere possint. *Sicut enim descendunt imber, & nix, de caelo, & non revertuntur eo, sed inebriant terram, & germinare eam faciunt; sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: non revertetur illud vacuum, sed faciet quaecunque volui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud, dicit Dominus Jes. LV, 10. Et cap. LVI, 21. Hoc est foedus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui a modo, & usque in aeternum.* Quidam e Veteribus perpetuitatem Ecclesiae *vocatorum* sic probat: Deus manet *Psal. IX, 8.* Manent ejus consilium & voluntas, *Jes. XLVI, 10.* Verbum ejus manet *Jes. XL, 8.* Manent homines praedicantes *2. Cor. V, 18. 19. 20.* Homines audientes *1. Jo. III, 11.* Homines recipientes *Jes. LV, 11.* Ergo manet Ecclesia. Quam concludendi, ac demonstrandi rationem non est cur improbemus.

§. X, Praecipue tamen Perpetuitas competit coetui *Electorum*, eique *invisibili*. Ad hunc enim imprimis pertinent luculentae promissiones, quod portae inferorum adversus eam non sint prevaliturae *Matth. XVI, 18.* & quod velit adesse nobis omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi *c. XXVIII, 29.* Scimus enim Christum esse Regem, Pastorem, sponsum, & caput suae Ecclesiae. Uti vero Rex non est sine regno: Pastor sine grege: Sponsus sine sponsa: Caput sine corpore; ita nec Christus est sine Ecclesia, quae est regnum ejus *Jo. XVIII, 36. Luc. XVII, 20.* grex  
ejus